

fuert; quia iudicium rationis et voluntatem non antevertunt, sed secuti sunt. Hinc evangelistae dicunt: *Cepit contristari; cepit pavere, etc.* Et alibi Joannes: *Turbavit semetipsum, c. XI.* Itaque Christus ultro tristitiam sumpsit, et praeterea omnem sibi consolationem etiam licitam interdixit ut nos disceremus noxias saltem delicias nobis interdiceret et praeterea quandoque ultroneam assumere tristitiam per novissimorum et sacratissimae passionis Christi meditationem. *Melius enim est ire ad domum luctus quam ad domum convivii,* ait Ecclesiastes, c. VII.

Quarto, *Ad consolationem infirmorum membrorum,* inquit S. Bern. in serm. de pass. Domini, *ne forte desperet quis, si caro infirma murmuret, ubi ad passionem promptus est spiritus.* Item ne animis concidamus, si non summum, quem debemus, dolorem eliciamus peccatorum, confisi in dolore Christi, qui nobis per sacramentum applicatur; quodque in confessione attritus fiat contritus.

IV. Mœrorem suum explicavit discipulis illis tribus dicens: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Primo, quia illi internam ejus tristitiam videre non poterant, praesertim ejus intentionem: quam tamen testari toti mundo debebant ob ante dictas causas. Erat enim tristitia illa incredibilis, et ut Dominus loquitur, *ad mortem,* hoc est, talis quae vitam ademisset, nisi virtute divinitatis ei conservata esset. Quoque versum enim spectabat Dominus, nil nisi mœrorem et angustias cernebat; si praeterita spectabat, videbat innumera beneficia ingrato Judæorum populo exhibita, ut curationem infirmorum, suscitationem mortuorum, doctrinam, fatigationes, vigiliis, orationes, etc. si praesentia inspiciebat, videbat instantem desolationem, Judæorum iniquissimam consultationem, Judæ machinationem, discipulorum imbecillitatem; si ad futura se vertebat, versabantur ante oculos ingentia supplicia et mors horribilissima. Quae omnia expressere Matthæus et Marcus. *Cepit enim tædere ratione primi, contristari ratione secundi, pavere ratione tertii.* Hoc ergo scire quia debebamus, idcirco id verbis ipsemet expressit: sicuti et sitim in cruce, quam alias scire non poteramus.

Secundo, ut rursus se hominem demonstraret; hominum enim est suas desolationes aliis aperire, ad tristitiam mitigandam, hoc idem fecit tunc Christus, simul illud docens, non detrahi aliquid perfectioni, et patientiae, quod quis patribus spiritualibus aut fidelibus amicis suas afflictiones aperiat ad solatium vel consilium inde capiendum.

Tertio, ut doceret licere etiam aperire et mani-

festare suos labores et persecutiones, aliaque virtutum opera, quando id ad aedificationem proximi facit. Hanc ob causam recenset ad longum apostolus suos labores, pericula et persecutiones, quas sustinuit, quia ita expediebat, ut nos inde aedificemur, scientes quanta oportuerit eum pati pro nomine Jesu, quem prius prosequeretur, quod praedictum ei a Christo erat.

V. Jussit etiam tres discipulos illos sustinere et vigilare in designato horti loco: primo, ut attenderent ad ea quae mox eventura erant, et aliquando toti orbi ab ipsis contestanda. Si enim ex eo loco abiissent vel indormissent, testes esse non potuissent; simul etiam docet Dei opera sedulo observanda et memoriae mandanda, aliisque annuntianda. Idcirco enim caput erectum gerimus, ut caelestia contemplerur: linguam ut deprædicemus opera Dei.

Secundo, ut ostenderet se spirituales tantum a suis exigere excubias. Ad villam reliquit octo, in horto tres discipulos, ipse tertium locum occupavit. Et quibus tandem armis se et suos induit? Oratione, patientia et vigiliis: *Orate,* ait ad octo: *Sustinete et vigilate,* ad tres; ipse etiam orat. Quam hic clare indicat, hæc ipsa esse arma efficacissima contra invisibiles inimicos, quemadmodum et testatur expertus miles S. Antonius, qui ad suos dicebat: *Mihi credite, fratres: pertimescit Satanas piorum vigiliis, orationes, jejuniis, etc.*

Tertio, ut pavoris sui vehementiam suis comprobaret, qui enim valde timent, jubent alios secum vigilare, in praesidium scilicet suum. O Deus bone, in quas angustias redegerunt scelera nostra Filium tuum!

VI. A tribus paululum progressus est ad locum orationis suae, passibus nimirum paucis, ita ut videri et audiri ab eis posset. Primo, sui causa, ut juxta humanam consuetudinem, tanto ferventius effundere animam suam in oratione posset ad Patrem. Habet enim humanus pudor, ut remotis arbitris, majori fervore et reverentia orat: videri flens aut fervens in oratione recusat. Sic Joseph commotus ad lacrymas ob aspectum fratris uterini, secessit in cubiculum, ne flens cerneretur ab aliis, Gen. XLIII.

Secundo, causa discipulorum ne longiori suo recessu eos contristaret, aut periculo exponeret. Velut enim gallina pullis suis advigilabat, ne in accipitrum manus eo absente venirent: ut si vel gemitum unum emitterent, mox eis adesse posset. Vide charitatem Christi erga nos. Nos autem quam longissime saepe ab eo separamur, nihil ejus praesidium curantes.

Tertio, omnium nostrum causa, ut moneremur

tempore tentationis, quorsum nobis eundum sit, nempe ad Deum per devotam orationem; sic enim contra fures advocamus auxilium vicinorum, etc.

Deo igitur gratias, qui non tantum nostri causa suscepit illam tristitiam ad expianda peccata nostra, sed praeterea per eam tam salutaria documenta nobis reliquit. Faxit etiam is ut per quadragesimam cum Christo ita contristemur, ut cum eodem in paschate læti resurgamus.

§ III. — ORATIO CHRISTI IN HORTO.

I. Avellitur a discipulis. — II. Ponit genua. — III. Procidit in faciem. — IV. Orat: Abba Pater, etc. — V. Redit ad discipulos. — VI. Increpat discipulos.

THEMA.

Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste.
Matth. XXIX.

Herbula quædam in hoc mundo est, pernicioza, amara, venenosa, quam tamen omnes homines miro modo appetunt et magna contentione quærunt: quæ cum comesta fuerit, dentes obstupescunt, lacrymæ excutiuntur; inde fletus et stridor dentium non eorum tantum, qui comederunt, sed quandoque etiam posterorum. Et quæ tandem hæc est herbula? Libertas seu propria voluntas. Creverat hæc in paradiso voluptatis, et magno appetitu comesta ab Adamo una cum pomo illo mortifero; sed quanta cum pernicie non ipsius tantum, sed et posterorum, quando una mox in vallem miseriarum ejecta sunt? Verissime ergo dicemus nos illud Jerem. XXXI. *Patres comederunt uvam acerbam et dentes filiorum obstupuerunt.* Sed imprimis Christus Dominus stuporem hunc expertus est, quando in horto tristitiæ luit, quod parentes nostri in horto voluptatis deliquerunt. Refert Aristoteles, in problem. sect. VII. q. V. quod qui uvas immaturas comedunt, dentium dolorem patientur: qui vero comedentibus adstant et in eos intuentur, horum dentes obstupescant. Comederunt primi parentes uvam propriae voluntatis, heu nimis immaturam, contra Dei voluntatem: et hujus acerbitaltem ipsi quidem experti sunt eorumque posterum maxime, cum rebellantem spiritui carnem sentire: sed multo maxime Christus, qui quoniam adstitit comedentibus et sub ficu vidit illos, idcirco dentes ejus maxime obstupuerunt, quando in horto Oliveti sic orat: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Faciebant illi voluntatem suam,

H. PARS BIENALIS.

cingebant se et ambulabant ubi volebant in horto voluptatis. Sed Christum in horto mœroris alius cinxit et duxit quo caro ejus non voluit. Unde S. Bernardus, serm. de passione Domini, ait: « Electe puer Dei mei, quid tanta amaritudine, quid tanta confusione dignum commiseras? Prorsus nihil. Ego, ego homo perditus totius perditionis tuæ causa extiti. Ego, Domine, uvam acerbam comedi, et dentes tui obstupuerunt. » Sic ille. Merito igitur hortum hunc inobedientiæ: hortum vero istum hortum obedientiæ poterimus vocare. Ex isto nunc aliquot salutare colligemus herbulas.

I. Cum jussisset Christus certo loco consistere discipulos, ipse *avulsus est ab eis, quantum jactus est lapidis,* inquit S. Lucas, ad indicandum primo, Christi desolationem et pavorem, quo urgente difficulter a discipulis sibi familiarissimis separabatur; solent enim qui pavore aliquo aguntur ad notos se recipere, ab illis ægre separari, tenaciter iis adherere, etc. Quare Christus etiam qui humanam infirmitatem et pavorem mortis ultro assumpsit et sustinere voluit, pericula mortis metuens, remanere cum discipulis suis maluisset, juxta appetitum naturalem sensus humani, quia tamen separatio facienda erat, ideo avulsus esse ab illis dicitur, sicuti dicitur infans avelli ab uberibus, quibus tenaciter adhæret, Isa. XXVIII.

Secundo, ad indicandam ejus dilectionem erga discipulos, quos ægre et vi quadam adhibita tamquam conglutinatos sibi deserebat in tam certo mortis suæ et dispersionis ipsorum discrimine. Nam quæ glutine sibi coheret, non nisi vi avelluntur; sic David, cum intelligeret a Jonatha, decretam sibi esse a Saule necem, quærique se ad illam, discedere coactus est a dilecto sibi Jonatha, cujus anima ipsi *conglutinata* erat ob amorem, ut dicitur I. Regum XVIII. ideoque ægerrime et magno cum fletu, ut habetur, cap. XX. Non dubium quin magis dilexit Christus suos discipulos: et hinc avulsio illa, quæ etiam apposite dicitur a Luca fuisse *ad jactum lapidis.* Quemadmodum enim lapis ob insitam sibi gravitatem et inclinationem versus terræ centrum, non nisi impetu facto projicitur sursum: sic etiam Christus ob amorem erga discipulos, non nisi vi adhibita separatus est ab illis. Vis autem illa fuit Patris voluntas et Filii amor. Vide tu quomodo respondeas huic amoris, qui tam facile a Deo separaris et quasi per risum.

Tertio, ad docendum nos, ut in nostris desolationibus non quæramus solatium apud homines illos, qui solatium afferre nequeunt; neque in solatiis mundanis, confabulatione, conviviiis

ludis, deambulatione, etc. sed potius apud Deum per orationem et colloquium cum ipso, juxta id Jacobi V. *Tristatur aliquis vestrum? Oret.* Sic Daniel in captivitate positus eas tantum fenestras aperuit, quæ versus Jerosolymitanum templum sitæ erant, ut Deum suum adoraret. Non aperuit eas, quæ versus Babylonem respiciebant, Dan. VI. Item ut quando orandum vel eumdum est ad templum, similiaque opera facienda, avellamus nos etiam cum violentia a negotiis et curis sæculi. Licet enim hæc delectent et trahant etiam ad se, tamen potior debet esse amor erga Deum, sicuti Christus deseruit dilectos sibi discipulos, ut adiret Patrem longe sibi dilectiorem.

II. *Posuit genua*, ut habet Lucas. Primo, tamquam reus mortis, qui judicem implorat pro clemente sententia; vel pro lata mortis sententia gratias illi agit; hoc enim solent facere, qui supplicio adjudicantur. Christus quoniam crimina nostra in se suscepit, etiam ea quæ rei sunt, hac flexione peragat. Vide, anima mea, Filium Dei, quomodo personam tuam agit in tam tristi scena. Quomodo non exclamas: *Ego sum, qui peccavi; et ego inique egi: iste qui ovis est, quid fecit? Vertatur, obsecro, manus tua (Deus) contra me*, II. Reg. ult. Ubi tu invenires aliquem tam fidelem amicum qui pro te flectere vellet ante carnificem, mox plectendus? Christus is fuit.

Secundo, tamquam camelus coram Domino, donec sarcinis oneretur et oneratus surgat ad ferendum. Hæc enim hora illa fuit in qua posuit Deus Pater iniquitates omnium nostrum supra dorsum ejus, dum calicem illi obtulit plenum amaritudine, nobis alioquin exhauriendum. Quare ut videremus, quam prompto et parato animo onus hoc suscepit, tamen si non absque pavore et horrore carnis, ideo semetipsum in genua demisit et supposuit humeros suos.

Tertio, tamquam magister docens suos discipulos, quanta cum reverentia debeant orare, ideoque primus coram ipsis in genua devolvitur, ut videntes hoc discipuli ipsum imitentur. Quando pueri vident procumbentem in genua magistrum, jam sciunt quid sibi faciendum sit absque alia monitione. Nos ergo videntes magistrum nostrum positum in genibus ad orationem, ne expectemus alia monita ad idem imitandum. Quis enim nescit exempla plus posse quam verba?

III. *Procidit in faciem suam*, ait Matthæus, *super terram*, ait Marcus. Primo, ut insinuaret nobis pondus peccatorum nostrorum, quod ipsum ad terram usque depressit. Magna peccati gravitas ostensa fuit in angelis peccantibus, quando eos de celo ad orcum depressit: in Davide, quando

conquestus fuit: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me*, Ps. XXXVII. Et in Manasse rege cum dixit: *Incurvatus sum multo vinculo ferreo, ut non possim attollere caput meum, et non est respiratio mihi; quia excitati iracundiam tuam et malum coram te feci*, II. Paralipom. ultim. Sed nunc multo magis patet gravitas peccati, quando etiam humeros ipsius Dei ad terram usque depressit.

Secundo, ut hac abjectione pudorem suum Patri testaretur, tamquam filius prodigus coram patre suo comparens, post dissipatam substantiam laceris panniculis et centonibus ad ignominiam usque circumdatus, ac proinde indignus qui coram tanto patre appareat, aut oculos ad ipsum attollat: tametsi enim secundum rei veritatem, prodigus non fuit, qui prodigos conciliaturus Patri venit, omnium tamen prodigorum filiorum sustinuit personam, et ut talem nunc se exhibet. Pensate, auditores, quæ confusio foret filio principis, si in externa natione forte spoliatus et laceris pannis indutus aut servituti subjectus reverteretur ad patrem centumculatus et sordidus. Hoc Filio Dei evenit propter scelera nostra, nos illum spoliavimus et sordibus nostris operuimus.

Tertio, ut confunderet nostram superbiam; siquidem coram Patre suo naturali prosternitur ad terram, quod nos miseri vermiculi sæpe detrectamus; dum vacamus orationis. Quid enim putamus? Nos stare et sedere coram Deo nostro, et Filium ejus naturalem coram eo jacere in pulvere et sordibus?

IV. *Oravit: Pater mi, seu Abba Pater, si possibile est (omnia autem tibi possible sunt) transeat a me calix iste: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Sic oravit primo, ut ostenderet hominibus se vere esse hominem, quasi unum ex nobis, et vere mortem metuere, ac secundum appetitum sensitivum optare ut eam effugeret, quia enim id ex decreto Dei, et cum salute nostra fieri non poterat; petere se absolute et definitive, ut Patris voluntas fiat, etc. atque ut hinc intelligeremus, quanti ipsi steterimus et quam caro pretio ab ipso redempti simus. Sane nisi in Christo resistentia ad patiendum fuisset in appetitu sensitivo, non appareret ratio meriti et satisfactionis: uti in ss. martyribus si absque omni sensu et horrore passi essent, nec magnum quid fuisset si tamquam leo absque omni pavore hostibus occurrisset. Quid enim magnum est Deo, homines non timere, sed terrere, prosternere? etc. Quia vero de martyribus dubitare non poteramus, quin mors et cruciatus terribilis ei atque acerbis foret: de Christo vero tamquam

Dei Filio dubitare poteramus, idcirco ipse in prævia oratione sensum et horrorem carnis suæ aperuit. « Salvator enim humani generis, (ait S. Leo. nom. de transfigur. Domini,) ad hoc discipulos suos doctrinæ monitis et operum miraculis imbuebat, ut idem Christus et Unigenitus Dei et hominis Filius crederetur. Nam unum horum sine altero non proderat ad salutem et æqualis erat periculi, Dominum Jesum Christum aut Deum tantummodo sine homine, aut sine Deo solum hominem credidisse, cum utrumque esset pariter credendum, etc. » Sic ille. Hinc per omnem Christi vitam hæc duo videbimus simul juncta fuisse; ac ne longe eamus, ex una parte pergit ad locum traditori notum, jamjam capiendus; ex altera illuc vadit magna cum tristitia. Ex una parte orat: *Si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.* Ex una parte arguit traditorem: ex altera recipit ad osculum. Ex una parte prosternit comprehensores suos, ex altera illis obviat.

Secundo, ut moneret non esse malum, sentire quæ sunt hominis, et affectus humanos pati, tristari, pavere et tædere, etc. modo eos moderemur et rationi, atque imprimis Dei voluntati accommodemus, ipsum etiam rogemus, ut affectus nostros dirigat, etc. Sic enim Christus Dominus suam frēgit voluntatem, sed potius velleitatem et appetitum sensitivum, Patrisque voluntati subdidit, ita ut velut æger potionem amaram a qua natura humana abhorrebat, sumeret, quia cælestis medicus sic præceperat et salus corporis ejus, quod est Ecclesia, postulabat. Et hanc ob causam vocat hic passionem suam, *calicem*, quod instar amaræ potionis esset, tametsi valde salutaris. Itaque si quis grave damnum patitur, in bonis animæ, corporis, fortunæ, et propterea tristatur et commovetur, vel quid tale perdere timet, etc. non idcirco peccat: sed interim adlaboret, ut passionem istam vincat et conformet rationi ac Dei voluntati. Si quis in virtutum proposito ac progressu sentiet reluctantem carnem, et retro vel alio spectantem, ne propterea turbetur, sed studeat se conformare Deo, superare passiones, etc. Aqua motum unum naturalem habet, sed et alium cælestem, quasi fluxus et refluxus, vel cum, ne vacuum detur, ascendit; et hic illi prævalet: sic appetitus sensitivus obedire rationi debet.

Tertio, ut doceret nos orandi modum. Nam præter solitudinem, reverentiam et humilitatem, de quibus tribus prioribus punctis dixi, docet hic etiam confidentiam ad Deum habere, cum sic orat: *Abba Pater*, vel *Pater mi*. Indicat enim nos habere in celo Patrem, non tyrannum aut

durum Dominum. Hunc ipse tamquam filius ejus naturalis vocat *Patrem suum*; nos velut filii adoptivi Patrem nostrum; porro *quis ex vobis patrem petit panem? Numquid lapidem dabit ei?* etc. Luc. XI.

Deinde docet resignationem in divinam voluntatem, cum ait: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Cum enim nesciamus quid nobis expediat, opus est, ut Deo resignemus nostras necessitates, et dicamus: *Fiat voluntas tua.* Vel cum Davide: *In manibus tuis sortes meæ.*

Denique ut oremus perseveranter; siquidem et Christus ter oravit eandem orationem, et ad extremum prolixius oravit, duravitque Christi oratio saltem ad horam; siquidem dixit: *Non potuistis una hora mecum vigilare?* Quod si Dei Filius toties pulsavit ad ædes Patris sui, possumusne ægre ferre, si et nos diutius foris et pulsare permittamur?

V. Rediit ad discipulos suos et quidem tertio, primo, ut hac discursione testaretur anxietatem suam; neque hoc mirum, quia responsum mortis a Deo acceperat; sic enim et Elias, cum nuntiasset illi Jezabel cum juramento quod crastina die ipsum neci tradere vellet, sicut et ipsa occiderat pseudoprophetas, hoc audito timuit, et *surgens abiit, quocumque eum ferebat voluntas, et perrexit in desertum*, III. Reg. XIX. Nihil aliud nuntiabatur Christo, quam mors in crastinum destinata, et mirabimur, si timore percussus Dominus modo huc, modo illuc abiit?

Secundo, ut exhiberet et doceret officium boni pastoris, qui sæpe visitare suas oves debet, nec longe ab eis abesse, necnon arguere dormientes et torpentes, uti fecit Christus discipulis; nimirum iterum gallinam illam se ostendit, quæ pullorum suorum maximam curam gerit et hoc quidem eo etiam tempore, quo maximis tenebatur angustiis. Sic ergo pastor cognoscat vultum gregis sui, pater filiorum, paterfamilias domesticorum.

Tertio, ut doceret hominem christianum non sibi tantum, sed et proximis vacare debere, eorumque salutem procurare. Itaque cum in oratione vel similibus exercitiis occupamur, et sentimus proximi necessitatem, his potius succurrere debemus. In cujus rei figuram vidit Jacob angelos in scala modo ascendentes ad Deum per contemplationem ad Deum, modo descendentes ad homines, per vitam activam scilicet. Exemplum refertur in chronico fr. Minorum de quodam Accursio nomine, cui apparuit B. Virgo in oratorio infirmarii, et suavissimum cum eo colloquium habuit. Audiit interim ipse ægrum quemdam in infirmario ingemiscens, moxque

relieta Dei matre, ad ipsum juvandum accurrit: ac deinde reversus ob hoc vehementer commendatus, et a Deipara, quod suam devotionem et consolationem proximi necessitati postposuisset.

VI. Discipulos dormientes increpavit et imprimis Petrum.

Primo, quia ipsi aliquando futuri erant summi pastores, præsertim Petrus, ad quem præcipue direxit orationem: *Simon dormis?* Hoc idem sibi dictum putent superiores, qui vultum pecoris sui cognoscere omittunt, nec attendunt ad eos, num præcepta Dei et Ecclesiæ observent. Itane vos dormitis, qui vigiles aliorum constituti estis? Ac quemadmodum discipuli isti non habuerunt quod responderunt Domino; sic etiam superiores illi quid in iudicio respondebunt Domino talia quærenti?

Secundo, quod ipso vigilante pro eis, illi non simul cum ipso vigilarent. Unde ait: *Sic non potestis una hora mecum vigilare?* Hoc idem dicere nobis videtur, qui hoc tempore, quo Christus pro nobis laboravit, sudavit, passus et mortuus est, adhuc in profundo peccatorum somno consopiti jacemus, nec passionis Domini recordamur ut ipsi condoleamus, et salutem nostræ attendamus. Scimus quid Urias ille miles regi suo responderit, cum juberet ire domum et dormire: *Dominus meus Joab, inquit, super faciem terræ manet, et ego ingrediar domum meam, ut comedam et bibam et dormiam?* II. Reg. XI. Dicamus nos: Christus jejunit et felle potatur, et ego non jejunabo? Christus vigilat in cruciatibus, etc. et ego non vigilabo hoc tempore? Christus tribus horis in cruce vivus pendet, et ego ad unam horam non durabo ad concionem, vel comprecationem?

Tertio, quod Judas et malorum cohors eo tempore minime dormirent, sed solerter vigilarent quomodo ipsum caperent: promptiores et vigilantiores ad malum, quam essent discipuli ad bonum. Quod idem nobis dicit potest, semper enim diabolus *tamquam leo rugiens circumquærens quem devoret*, ait S. Petrus: nos tamen interim stertimus. Exemplum promptitudinis diabolicæ recenset S. Greg. I. III. dial. c. XIX. de quodam Stephano nomine, qui mancipium suum diaboli nomine compellens ut ipsum excalcearet, statim dæmonem præsto habuit, clam ligamina calceorum solventem, etc. Sic magis sæpe vigilant hæretici ad sectas suas tuendas et propagandas, quam nos. Sane dum episcopi et pastores nostri dormirent, venit Lutherus, veluti Judas, cum cohorte, et cepit Germaniam, cui velut inimicus homo superseminavit zizania. Quam strenue mundani vigilant pro lucro, ad aleas, compotationes, etc.

Quarto, quod immineret gravissima tentatio a dæmone et Judæis infirmæ carni; ideoque Dei auxilio opus esset ad illam superandam. Ideo subdit: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*, q. d. magnum quidem spiritum concepistis, ad perseverandum mecum, adeoque mortem subeundam. Sed videte ne carnis imbecillitate victi, alia agatis, et superetur promptitudo spiritus ab infirmitate carnis. Videte vel in hoc carnis vestræ imbecillitatem, dum in præsentissimo periculo dormitis, qui pro me pugnare volebatis, etc.

§ IV. — ANGELICA CONFORTATIO, ET SUDOR CHRISTI SANGUINEUS.

I. Confortatur ab angelo. — II. Agonizat. — III. Sudat sanguinem.

THEMA.

Apparuit autem illi angelus de cælo confortans eum.
Luc. XXII.

Quam levis et suavis est muleta primi hominis si cum muleta Christi, secundi Adami conferatur? Peccavit ille et ideoque audiit: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Parum istud erat, quia sudor aqueus erat, homini naturalis. Non peccavit iste, et vide sudorem ejus: *Factus est sudor ejus*, inquit Lucas, *sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* In hoc sanguineo sudore vesci Christus pane suo, qui est hominum salus, debuit: in hoc agellum suum Ecclesiam excolere, imo hoc diluvio sanguinis rigare. Quam ergo exigua pœna est, quam a nobis exigit Deus pro peccatis alienis!

I. Angelus de cælo confortavit eum, nimirum vel consolando eum verbis, aspectu externo, sanguinis abstersione, laudibus, etc. vel proponendo illi ingentem fructum, qui ex passione ejus proventurus erat, Dei gloriam, ipsius Christi exaltationem, animarum salutem et gaudium, etc. juxta id: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Facta est autem hæc confortatio, primo, ad demonstrandum, non solum Christi humanitatem sed etiam omnimodam desolationem tametsi voluntarie assumptam. Quomodo enim non verus homo est qui etiam minutus est paulo minus ab angelis, ita ut confortari ab illis debuisset; in deserto ministrabant illi angeli ad indicandam ejus divinitatem, in horto confortabat eum angelus ad indicandam ejus humanitatem, quia utrumque necessario credendum erat. Desolationem quoque Christi omnimodam ostendit hæc confortatio, propterea

quod a servo ejus facta est. Aliis temporibus Pater ipsemet loquebatur Filio et quidem amabilissime: *Hic est Filius meus dilectus, etc.* uti in baptismo et transfiguratione et quando Joan. XII. de cælo intonuit super eum: *Et clarificavi (te) et iterum clarificabo.* Nunc vero precantem Filium in maximis angustiis audire non videtur, nec velle ei loqui, servum tantum mittit angelum. Et qualis est ista confortatio, quam præbet servulus Domino? Infans giganti? Ipsimet sancti angeli gaudium et robur a Christo accipere debent: et quomodo hoc ipsi porrigent? Miserum et miserabilem dicimus illum dominum, qui a propriis servis pecunias vel similia mutuare subsidia debet. Quam ergo fuisse putabimus Christi desolationem et defectum virium, qui a servo suo confortari debuit? Hinc mihi facile persuadeo, quod asserit S. Beda confortationem istam non tantum non minuisse Christi mœrorem ac dolorem, sed etiam auxisse, cum nimirum vidit tantus Dominus eo se angustiae et impotentiae redactum, ut servorum opitulatione egeret, quæ tamen opem non afferebat, sed dolores tantum graviores nuntiabat. « Confortatus est, inquit Beda, in c. XXII. sed tali confortatione, quæ dolorem non minuit, sed magis auxit: confortatus enim est ex fructus magnitudine, non subtracta doloris amaritudine. » Sic ille. Propinabat enim calicem quem toties deprecatus erat.

Secundo, ad ostendendum semper adesse angelos sanctos laborantibus et patientibus propter Deum, neque et orantibus. Volvamus sacras litteras et inveniemus id quod dico: Agar exulanti et extrema penuria laboranti adest angelus consolator, Gen. XVI. Jacobo quando valde timens fratri obviavit, Gen. XXII. adest angelus confortator: Gedeoni miserias populi sui deploranti adest angelus confortator, Jud. VI. Eliæ Jezabelem sibi necem intentantem fugienti adest angelus confortator, III. Regum. XIX. similiter Danieli in lacu leonum constituto, Dan. XIV. et VI. tribus pueris in fornacem missis, Dan. III. Petro in carcere vincito Act. XII. Paulo in mari periclitanti, Act. XXVII. ut hinc nullatenus dubitare possimus quin aliis quoque omnibus propter Deum in afflictione positus, adstet angelus confortator, tametsi non visibiliter. Orantibus præterea simili modo adesse. S. Bernardus, serm. in Cant. ex illo exemplo probat, Tob. XII. ubi angelus ait: *Quando orabas cum lacrymis, etc. ego obtuli orationem tuam Domino:* erat is angelus Raphael, qui tamen nequam falso dicebat se vocari Azariam, Tob. V. (Azarias enim vocatur auxilium Dei) indicans angelos auxilium Dei ferre afflictis et orantibus.

Tametsi vero non audimur semper ad id, quod in oratione petimus, non dubitans tamen angelos adesse nostris orationibus opem aliam similem vel meliorem afferentes. Sic Christo fructum passionis ejus nuntiabant, qui longe acceptius ei donum erat, quam si nuntiassent ei incolumitatem et vitæ conservationem. Itaque si in ægritudine, v. g. constituti et orantes, non impetramus sanitatem, dabit nobis Deus aliquid forte præstantius; mittet angelum suum, qui confirmet nos in patientia ad promerendam gloriam ampliorem, etc. uti dictum Paulo oranti ter ut liberaretur a stimulo carnis: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.*

Tertio, ad informationem nostram, ne videlicet erubescamus consilium aut correctionem accipere etiam ab inferioribus rudioribus, ignobilioribus, minus justis, etc. Ecce enim tibi fortissimum Samsonem qui a puero se duci et roborari non detrectat, tametsi hæc opera non indiget: ut nos eum imitemur. « Nonnunquam evenit, inquit S. Chrysost. de laud. D. Paul. hom. IX. ut sapiens non videat quod oportet; et minor et hebetior clare et caute ea prospiciat. Sapiens ille Moyses, qui tanta miracula operatus est, non animadvertit rem, quam mortalium plerique considerant: socer autem ejus homo barbarus et obscurus statim animadvertit. Itaque consiliariis omnes opus habent, etiam si Moysi conferri possint. Multa enim sunt, quæ magni et admirabiles viri ignorant, quæ tamen parvi et abjecti scire solent. » Sic ille. Cæcus ille a nativitate per Christum illuminatus, plus vidit quam omnes Pharisæi, dum e miraculis Christi divinitatem ejus optime collegit, tametsi ab illis indignantibus audiit: *In peccatis natus es totus et tu doces nos?* Joan. IX. Ab angelo præterea discimus consolari mœstos in suis afflictionibus.

II. Factus in agonia prolixius orabat. Fuit hæc agonia secundum aliquos duellum quoddam voluntarium ad majorem dolorem assumptum, inter carnem et spiritum, seu appetitum sensitivum et rationem, quasi inter duos milites a duce permissum. Caro pati refugiebat, spiritus patiendum esse contendebat, et quia uniti erant et alter alterum in suam trahere partem nitebatur, inde hæc agonia: velut si duo in eodem carcere et eadem catena colligati ita colluctantur, ut alter velit fugere, alter vero manere, cum a se mutuo nequeant separari. Fugere conabatur a morte Christi caro, naturali inclinatione; sed retinebat eam spiritus, eique prævalebat, et mortem subeundam denique persuasit, tametsi trepidanti et horrenti. Figuram hujus luctæ videre est in Jacob et Esau colluctantibus in ipso matris utero,